Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



Erit radix iesse. et qui exurget regere gentes. in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat uos omni gaudio et pace in credendo. ut habundetis in spe et uirtute spiritus sancti. S. Lucam.

In illo tempore dixit ihesus discipulis suis. Erunt signa in sole et luna. et stellis. et in terris pressura gentium pre confusione sonitus maris. et fluctuum. arescentibus hominibus pre timore et expectatione. que superuenient uniuerso orbi. Nam uirtutes celorum mouebuntur. Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube. cum potestate magna et maiestate. His autem fieri incipientibus respicite. et leuate capita uestra. quoniam appropinquabit redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam et omnes arbores. cum producunt iam ex se fructum. scitis quoniam prope est estas. Ita et uos cum uideritis hec fieri. scitote quod prope est regnum dei. Amen dico uobis quia non preteribit generatio hec donec omnia fiant. Celum et terra transibunt. uerba autem mea non transibunt. Malachye

Hec dicit dominus. Ecce ego mitto angelum meum. Prophete et preparabit uiam ante faciem meam. Et statim ueniet ad templum suum dominator quem uos queritis. et angelus testamenti. quem uos uultis. Ecce ueniet dicit dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius. Et quis stabit ad uidendum eum. Ipse enim quasi ignis conflans. et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans. et emundans argentum. et erunt domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit domino sacrificium iuda. et ierusalem sicut dies seculi. et sicut anni antiqui. dicit dominus

151